



**V**ilhelmus Basileæ natus & educatus fuit. Is cum artium & linguarum fundamēta feliciter in patria iecisset, studiorū amore sese Lutetiam Parisiorum contulit, atq; Medicorum libris diligenter incubuit. Itaq; cum in ijs plurimū profecisset, Medicinæ Doctor omnium applausu creatus fuit. Postea eam artem cum Mathematicis disciplinis tanta felicitate exercere cœpit, ut in omnium admiratione esset. Hinc factum ut Franciscus Galliaë rex eum liberali stipendio oblato ad se uocarit, & sui corporis Medicum constituerit. In gymnasio quoq; Lutetiaë professorem elegit, atq; multis honoribus ob eruditionem & uirtutes accumulauit. Is inter Gale-

ni scripta multa latinitate donauit, utpote De locis affectis libros 6, De morborum differentijs lib. 1. De morborū causis lib. 1. De symptomatum causis & differentijs libros tres, qui omnes cum Latinis Galeni operibus uarijs in locis excusi sunt. Præterea Pauli Aeginetæ præcepta, & Hippocratis Prognostica. Cum hoc modo rem Medicam multū adiuuisset, Erasmo Roterodamo familiaris esset, & suis honestis artibus magnas sibi opes comparasset, Lutetiaë obiit, & honorificè sepultus fuit. Con. Gest. Anon.